DE

HOMERO

REBVSQVE, EVM SPECTANTIBVS, VARIIS.

DISSERTATIO VALEDICTORIA

AD

DISCEPTATIONEM PROPOSITA

A

G. J. THIERGEN.

DIE XIX. MARTII cIↄ Iↄ ccXCIII.





DRESDAE, EX OFFICINA HARPETERIANA.

Psalm. CXII. v. 4.

Exortum eſt in tenebris lumen.

Horativs *de art. poët. v. 73.*

„Res geſtae regumque, ducumque, et triſtia bella,
„Quo ſcribi poſſent numero, monſtrauit Homerus.“

Propert. Lib. III. El. 1.

„ - - - - - Homerus
„Poſteritate ſuum creſcere ſenſit opus.“

Avctore incerto.

„Si deus eſt, diuinus honor tribuatur Homero.
„Sed ſi non deus eſt, deus hic tamen eſſe putetur.“

PRAEFATIO.

Ex quo tempore litteras in deliciis habere coepi, maxima aeſtimatio, illimitataque cupido, poëtas veteres legendi, animo meo ſe inſinuauit. Illos enim ſemper adamaui, maxime vero Homerum, magnarum rerum magiſtrum. Eiusmodi carminibus enim anima in ſe ipſam quaſi reflectitur, delectatur, et ſimul optima rerum doctrina nobis ſuggeritur. Duplicem vero ſibi ſcopum, artem nimirum, et virtutem poëtae ſibi proponunt. Vaſtiſſimum hic haberemus diſſerendi campum, ſi hoc argumentum pro dignitate excutere, et ea omnia prolixo verborum ambitu explanare vellemus. Ex tempore vero, quo Homeri opera legere coepi, nihil magis fuit in votis, nihilque prius, nihil antiquius habui, quam artem poëticam. Quare ne mireris, quaeſo, L. C. quod ad hocce inprimis ſcribendi genus animum attulerim. Magis autem deſiderium accendebatur mecum reputans, quales habuit Homerus inimicos; qui cum peſſima audacia auctoris dicta, hebetia ab illis dicta, hebetes ipſi ingenio, non intelligunt, et ad perniciofam quam ſibi fingunt opinionem audacter, verbis additis vel detractis, gloriam eius diſtrahunt. Intellexi autem ex Homero, quem legiſſe me nunquam poenitebit, eum nullum habere inimicum, praeter ignorantem.

Adhibuimus in hac re omnem quidem quam potuimus curam; ſi quid vero non ſatis accurate delectum videatur, erroris veniam ab humano et indulgente iudice precari non erubeſco.

DE PATRIA HOMERI.

§. I.

Homerus, inclytiſſimus ille antiquiſſimorum temporum poëta, quibus ortus parentibus, aut quo loco natus ſit, certo dici non poteſt. Multae quidem nobiliſſimae ſunt ciuitates, quae hunc ſibi vindicent honorem, quae vero multis ſuis contentionibus rem incertam, incertiorem reddiderunt. Et ſane haec res ſemper in ambiguo erit, cum neque ipſe de ſe in ſcriptis ſuis

 tale

tale quid attulerit, neque qui de eo ſcripſére, inter ſe omnes conſentiant. Alii enim vel fabulas finxerunt, alii ea, quae afferunt, ex aliis, non magis fide dignis, ſcriptoribus hauſerunt, eoque fictionum fabularumque copiam magis auxerunt. Qua re, quoad fieri a me poteſt, ea tantum in medium proferam, quae ab illarum opinionum abſurditate ſunt remota. Quid enim commodi haberet, ſi omnia allegaremus, quae hic allegari poſſunt, inprimis cum tanta eorum ſit copia, vt tota haec diſſertatio ad illa, quae huc ſpectant, complectenda, non ſufficeret.

§. II.

Alii eum Colophonium, vt Antimachus et Nicander; alii Chium, vt Simonides; alii Smyrnaeum, vt Pindarus; alii Ietem, vt Bacchylides et Ariſtoteles Philoſophus; alii Cumaeum; alii, quorum ſententia abſurdiſſima eſt, Athenienſem, vt Ariſtarchus et Dionyſius Thrax; alii Aegyptium, Thebis natum, alii Lucanum,*) Syrum,**) Italum, Romanum, Gnoſium, Grynaeum; alii Troianum ex agro Cenchorum, alii Lydum e Maeonia, alii Ithacenſem, alii Cyprium e ſuburbano Salaminis agro, qui ad montis radices circumfuſus eſt, alii Mycenaeum, alii Theſſalum, alii denique Rhodium eſſe tradiderunt.

§. III.

Nemo autem mirabitur, totum fere terrarum orbem de Homero contendiſſe, quia multas ille regiones peragrauit, eoque illarum incolas varias in opiniones diſtraxit. Iac. Phil. Thomaſinus in Petrarcha rediuiuo c. 24. de patria illius multa ambigua habet. Inter omnes vero vrbes, quae Homerum ſibi vindicare ſtuduerunt, ſeptem praecipue huius gloriae auidiſſimae fuere, quae ſequentibus continentur: ***)

„Patriam

*) Leo Allatius in libro de patria Homeri dixit ad hancce opinionem peruertendam: „Quod Lucanus fuerit aut Romanus, aut Italus, aut Gnoſius, aut Grynaeus, „aut Trojanus, non memini me vſpiam alibi, praeterquam quod in ipſo Sui„da, legere vel in iis qui ſua habent e Suida."

**) Homerum Syrum fecerunt ea ratione, quod ſuos Heroes introduxit a piſcibus abſtinentes, qui Syrorum mos fuit; ſed et multas alias nationes, praeter Syros, a piſcibus abſtinuiſſe, hiſtoria teſtatur, et ex illa Iuuenalis Sat. XV. v. 7. ſeqq.

***) Fauſto Sabaeo interprete.

„Patriam Homeri vni, ſeptem contenditis Vrbes,
„Cumae, Smyrna, Chios,*) Colophon, Rhodos, Argos, Athenae.“

Sed non omnibus eadem eſt ſententia. Extat enim aliud epigramma, quod M. Varro in libro de imaginibus primo, Homeri carmini appoſuit:

„Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου
„Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.“

Smyrna reliquis omnibus in certamine palmam ambiguam fecit. Nam quis quaeſo terrarum locus, quaenam ciuitas aptior fuit, ad Homerum inde a tenerrimis tantis rerum ideis, tantaque ſcientia, tam naturalium, quam moralium, imbuendum, quam illa, quae quaſi portus mercatorum fuit barbarorumque.

§. IV.

Ad flumen Meletem ſpelunca a Smyrnaeis monſtrabatur, in qua Homerum poëmata ſua compoſuiſſe dixerunt. Smyrnaei quoque de Homero melius meriti videntur, nummum eius nomini dedicando, quam templis exſtruendis et ſtatuis ponendis. Nam Smyrnaei ab Homeri effigie haud dubie nummum ΟΜΗΡΕΙΟΝ vocarunt, cuius in auerſa parte, vsque ad inferiorem corporis partem velatus ille, calamum vel palmam, vt in tit. huius diſſert. videmus, manu tenens, ſellae inſidet; in aduerſa vero, corona exhibetur, in cuius medio ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Chii, quo publice omnibus oſtenderent, Homerum ciuem ſuum eſſe, nummum quendam cum imagine eius, in illo expreſſo, diuulgarunt; quod docet Iulius Pollux: „Οἱ Μιτυ-„ληναῖοι μὲν Σαπφὼ τῷ νομίσματι ἐνεχάραττον, Χῖοι δὲ Ὅμηρον; i. e. Mityle-„naei Sapphus imagine, Chii Homeri, nummos ſignarunt.“ In cuius nummi parte aduerſa, Homeri protome, in auerſa Sphinx conſpicitur. Eiusmodi nummus reperitur apud Gisbertum Cuperum in Apotheoſi, cuius ectypum hic adiicio; nec non in gemma antiqua apud Leonem Allat. qui Chiorum nummum in lucem edidit, atque illuſtrauit. Argiui, ob laudes, quas Hom. eis impertitus eſt, non tantum eum multis donis ornarunt, ſed et auream illi ſtatuam fecerunt, cui certo anni die adeo ſacrificarunt. Cauſa vero, cur hoc fecerunt, nulla alia eſt, quam quod Homeri-

 das,

*) Quaedam editiones habent Jos pro Chios, vtrumque probatur: de Jo enim teſtatur Ariſtoteles, teſte Gellio; de Chio Cicero pro Arch. poët. c. VIII.

das, *) ſiue familias hoc nomine ab eo deſcendentes vt dicunt, habuerunt. Vti vero Homeridae in Chio, ita Eumolpidae Athenis, Bacchiatae Corinthi, in Co Inſula Hebridae, notiſſimarum familiarum nomina fuerunt. Cum multi vero populi, magna animorum contentione, natales huius viri ſibi vindicarent, vtique mirum non eſt, ſi nummos cum eius protome et alii ſignarunt; quod Amaſtriani fecerunt. **) In altera eius parte fluuius Smyrnaeorum Meles iacet, quod vel Homerum ad eum natum, vel illius, non Critheidis nymphae filium eſſe indicat; in altera eſt caput Homeri, barba ſine cultu promiſſa, facies ſenio confecta, naſus et oculi palpebris clauſis, ita, vt caeci formam prae ſe ferant, qualis fuiſſe traditur. Vid. de eius lineamentis Pauſaniam lib. 5. et 10. vbi latiorem inuenies deſcriptionem. Quod vero tam multae de Homeri patria extiterint ſententiae, ***) ita, vt patria plane quaſi careat, poëtae, eius miſerti, eum deis inſeruerunt, carmina vero ob diuinitatem alii Ioui, alii Apollini, alii Muſis adſcripſerunt. Quare Sannazarius de patria Hom. epigrammat. Lib. III. aſſerit:

„Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenae.
„Cedite! Iam coelum patria Maeonidae eſt.“

Poëta Anonymus lib. IV. eum non mortali ſtirpe, ſed Muſis ortum eſſe, canit:

„Ου γὰρ ἔφη, χθονὸς ἔργον ἀπ' αἰθέρος ἀλλά ἑ Μοῦσαι
„Πέμψαν, ἵν' ἡμερίοις δῶρα ποθητὰ φέρῃ.“

i. e. Gisberti Cuperi verſione:

„Telluris non illud opus, verum, aethere miſit
„Muſa, vt terricolis dulcia dona ferat.“

Antipater et Columella quoque coelum illi patriam tribuerunt.

§. V.

Fabularum, quas de Hom. multi ineptiunt, quamuis omittendarum, (vt iam ſupra dixi) paucas tamen afferendas cenſeo, vt earum fatuitatem com-

*) I. C. Scaliger Vir ille clariſſ. in libro I. Poëtices, qui et Hiſtoricus nominatur, ita de Homeridis „Quare, inquit, Homeri carmina ob excellentiam Poë„tae ita eſſe dicta exiſtimaui: praeterea quod et aliis praeferrentur et frequen„tius recitarentur ab iis, qui ſunt ὁμηρίδαι appellati, ſiue ab officio, ſiue, vt „aliqui voluere, quod ex eius familia illius cantum, tanquam haeredes cir„cumferrent.“ Vid. Operum Scaligeri editionem apud Petrum Santandreanum, p. 113.

) Apud Spanh. et Patin. plura inuenies. *) v. Seneca ep. 89.

commonſtrem. Eum nimirum, puerulum, noctu nouem auium voces, vt hirundinis, pauonis, columbae, cornicis, perdicis, porphyrionis, ſturni, luſciniae, merulae emiſiſſe narrant; porro puerum in lecto cum nouem columbis iocantem inuentum. Quas quidem, et alias eiusmodi nugas in hiſtoriis quisque abominabitur. Appion Grammaticus, illud mundi cymbalum (a Tib. Caeſare ſic dictus) cum eius patriam humana experientia aſſequi minime poſſet, incertitudinem hanc moleſte ferens, ad homericos ipſos manes, eorumque auocationem conuerſus eſt, quod teſtatur Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXX. cap. 2.

VITAE EPITOME.

Eadem autem ſcriptorum incertitudo, etiam de eius parentibus. Qui eum Smyrnaeum eſſe aſſerunt, Maeone patre, et Critheide matre, prope Meletem fluuium, natum affirmant, ideoque illi Meleſigenetis vel Meleſianactis nomen inditum. At vbi poſtmodum Chiis obſes datus esſet, luminibus orbatus, Homerum cognominatum; nam τυφλὸς caecus Aeolienſium dialecto Ὄμηρος dicitur. *) Alii porro aliter dicunt. Quidam eum in inſula Io, quo tempore Neleus, Codri filius, coloniae in Ioniam ducendae, praefuit, a Genio quodam, eorum ex numero, qui cum Muſis choros ducunt, et puella ibidem indigena, a praedonibus poſtea Smyrnam deuecta, ad Meletem flumen natum eſſe narrant. Erat Smyrnae celebre emporium, quo plurimi peregrini confluere ſolebant, in quibus Mentes, nauclerus e Leucadiae finibus, propter frumenta naue venit. Huic Mentae Meliſigenes adprime carus fuit, et ipſe Meleſigenes Mentem, vtpote eruditum et probum, amauit. Quare relicto omni ludo, Smyrna, vna cum Mente decedens, longa peregrinatione immenſam ſibi rerum et locorum notitiam comparauit. Cum Ithacam aliquando deuecti eſſent, accidit, vt Meliſigenes grauiſſime oculis laboraret; quare Mentes, in Leucadem traiecturus, Mentori amico eum commendauit, enixe rogans, vt nulla ipſi res deſſet. Ille aegrotantem ſedulo curauit, et multa de Vlyſſe et eius erroribus docuit. Ithacam reuerſus Mentes, Meleſigenetem recepit, atque vna cum illo nauigationem ad

*) A Cumaeis et Ionibus ὅμηροι vocantur quod ὁμηρευόντων i. e. ductorum indigeant; alii, vt Heliodorus, nomen illud a femore deriuant, quod a Graecis ὅμηρος dicitur, in quo ingentem crinium longitudinem habuiſſe dicitur.

ad alia loca aggreſſus eſt. Vt Colophonem deuenerunt, Meleſigenes vetere oculorum morbo tentatus, viſum amiſit. *) Ibi a Mente relictus, temporis progreſſu caecus Smyrnam remeauit, vbi ſe totum Poëſi tradidit. Sed cum Smyrnae paene victu deſtitueretur, Cymen commigrare ſtatuit. Quo facto ad eum peruenit locum, qui appellabatur *nouus murus*. Hic a Tychio, benignis hoſpitalitatis officiis exceptus eſt. Cymen inde rediens, ciuibus, ſi eum publice alere vellent, ſe ciuitatem illorum celeberrimam reddere pollicitus eſt. Re ad ſenatum relata, vnus Senatorum repugnaſſe, et inter alia dixiſſe fertur: Si ſemel ὁμήρους i. e. caecos alendos ſuſciperent, futurum eſſe, vt plane inutilem turbam haberent. Hancce calamitatem deplorans Phocaeam abiit. Erat hic eo tempore Theſtorides quidam Ludimagiſter, homo callidus et ambitioſus. Hic Homeri in carminibus componendis explorata virtute, his eum compellauit verbis: ſe miniſtraturum ei et ad victum neceſſaria ſuppeditaturum, ſi, quae meditaretur carmina, a ſe deſcribi pateretur. Conditionem Hom. recepit; ille vero Phocaeidem et alia quaedam ab Hom. excepit, mox improba fide Chium abiit, carmina eius pro ſuis venditauit, atque inde et famam praeclaram, et ſplendidum lucrum ſibi collegit. Id reſciens Homerus in Chium properauit, vt plagiarium pudefaceret. Varias in itinere perpeſſus aerumnas, et Glauci Caprarii canibus fere dilaniatus, ab hero Glauci benigne habitus, apud Chium coepit inclareſcere. Theſtorides Homerum adeſſe audiens, fugam capeſſiuit. Homerus vero ciues omnes ſibi conciliauit admiratores, et, pueros carmina docens, bonam lucratus eſt mercedem. Hic Homerum diu commoratum fuiſſe, diſcipulis inſtituendis operam dediſſe, vxorem duxiſſe, potiorem carminum ſuorum partem compoſuiſſe, duas filias ſuſcepiſſe, quarum vna deceſſit innupta, alteram viro Chio elocauit, Herodotus

*) Homerum caecum natum eſſe nonnulli dixerunt, et Vellei. Pat. Hiſt. I. 5. „Clariſſimum, inquit, deinde Homeri illuxit ingenium, ſine exemplo maximum, — — quem ſi quis caecum genitum putat, omnibus ſenſibus orbus eſt“ dubium non eſt, an caecus fuerit ab ipſis natalibus, vel a puero, an vero magno natu, morbo infortunium tale contigerit: praeſertim cum tot ac tanta, tamque diuerſa ſunt, quae ſcripſit. Ex hac ipſa πολυπειρίᾳ τῶν τόπων Proclus colligit Poëtam caecum non fuiſſe. Multos tamen fuiſſe, qui cenſent Homerum caecum in luminis oras veniſſe, videre licet, apud Leonem All. Brodaeum, Heraclidem in excerptis, Gerhard. Voſſium et Andr. Wilkium.

tus memoriae prodidit et alii cum eo. Multis poſtea eum videndi gratia venientibus, vt in Graeciam ſe conferret nonnulli ſuaſerunt. Conſilio probato, Samum appulit, vbi hiemauit, et varia cecinit carmina. Sed breui a Samo Athenas nauigare moliens ad Ionem adpulit. Hic grauiter aegrotare coepit. Egreſſus e naue, per complures dies morbo decubuit. Circumſedentibus quibusdam eum nautis, et quibusdam e ciuitate, pueri piſcatores acceſſiſſe et aenigma propoſuiſſe dicuntur. *) Ille cum piſcatores inde abeuntes perſentiſceret, ex ipſis quaeſiuit: Viri Arcades, qui piſcandi artem profitemini, aliquidne cepiſtis? illi hoc carmine reſpondebant:

„Ἅσσ' ἕλομεν, λιπόμεσθα, ἃσδ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα.“
„Liquimus acceptos, non captos ferre neceſſe eſt.“

Quo quidem verſu voluerunt ſe, pediculos, quos ceperant, occidiſſe, quos autem capere nequiſſent, veſtibus ſuis ferre. Putant nonnulli, Hom. animi pudore ſuffuſum, quod propoſitum aenigma ſoluere neſciuiſſet, veramque huius mentem aſſequi non potuiſſet, triſtem diſceſſiſſe. Homero autem oraculum editum fuiſſe ferunt: Tum ipſi vitae finem fore, cum propoſitam quaeſtionem ſoluere non potuiſſet; quod quidem Oraculum fuit:

„Inſula Ios matris patria eſt, quae colligit oſſa
„Exanguis, at enim puerorum aenigma caueto.“

Sic lapſus in ſaxum, tertium poſt diem obiit. Martianus Capella eum in Naxo inſula ſepultum ait. Veriſimilius autem eſt, Homerum in Inſula Io morbo quodam mortuum eſſe. Demortuum autem comites et ciues, qui in colloquio cum eo fuerant, ibidem Ietarum more humarunt. Sepultus eſt in Io inſula in littore, epigrammate, quod ibi viuus ſibi compoſuerat in lapide exciſo:

„Ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
„Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.“

„Condit humus caput haec ſacrum, qui verſibus arma
„Fortia diuinis Heroum armauit, Homerum.“

TEMPVS QVO VIXIT HOMERVS.

Tempus, quo natus eſt H. Herodotus ſecundum circiter ſaeculum, bello troiano finito, incidere putat, anno videlicet poſt bellum illud, centeſimo ſexageſimo octauo. Quot vero annos vixerit nusquam reperimus. Vitam

*) Proclo autore.

Vitam tamen ad ſenectutem protraxiſſe reor, quoniam plura antiquitatis monumenta, illum vt ſenem nobis commonſtrant. Huc accedit, quod Longinus putauit, Odyſſeam ab eo in ſenectute fuiſſe ſcriptam, quae vero opinio a multis in controuerſiam vocatur, adeo vt et hoc incertum ſit, atque ambiguum. Non minus incertum eſt, qua aetate Hom. vixerit, auctoribus tam graecis quam latinis. Floruit Hom. vt quidam aiunt ante Heraclidarum deſcenſum, qui Ilium copias duxerunt, quas etiam in nauium catalogo attulit. Sed haec haud veriſimilia, cum Hom. ipſe multos ſe annos poſtea vixiſſe indigitet, verſibus illis Iliad. Lib. II. 486.

„Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκουομεν, οὐδέ τι ἴδμεν.“

„Nos autem famam ſolum audimus, nec quidquam praeterea nouimus.“

Alii eum poſt Ionicam coloniam, anno centeſimo et quinquageſimo ſuperfuiſſe, alii quarto ac viceſimo poſt res troianas ceciniſſe tradunt, alii eo fere tempore, quo Athenienſes Coloniam in Ioniam deduxerunt. Alii, Homerum, Heſiodo natu maiorem fuiſſe ſcripſerunt, vt Philochorus et Xenophanes, alii minorem, in quibus L. Accius poëta et Ephorus hiſtoriae ſcriptor. M. autem Varro in lib. de imaginibus, vter prior natus ſit, parum conſtare dicit; ſed non eſſe dubium, quin tempore eodem ſcripſerint; idque ex epigrammate oſtendit, quod in tripode ſcriptum eſt, qui in monte Helicone ab Heſiodo poſitus traditur. *) Vellei. lib. I. ita de Heſiodo: „Huius „temporis aequalis Heſiodus fuit, circa CXX. annos diſtinctus ab Hom. ae„tate, vir perelegantis ingenii, et molliſſima dulcedine carminum memora„bilis, otii quietisque cupidiſſimus, vt tempore tanto Viro (Homero) ita „operis auctoritate proximus.“ Chronicographi Homerum centum et ſexaginta annos ante Vrb. condit: ſiue DCCCCXII. annos ante C. N. floruiſſe ſtatuunt. Ita ſentit Corn. Nepos in libro Chronicorum apud Gellium XVII. c. 21. Hos ſecuti ſunt et alii, vt Vell. Paterc., Plinius et Iuuenalis etc. Nonnulli ſcriptorum eum hoc anno mortuum eſſe ſcribunt. Solinus confidenter annum adeo conſtituere audet, quo Hom. obiit (vid. ei. Polyhiſt. c. 43.) eumque poſt Ilium captum, anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, rebus humanis exceſſiſſe dicit.

SIN-

*) vid. Georgii Hornii Hiſt. philoſoph. Lib. III. c. 8.

SINGVLARIS EIVS MODESTIA.

Singulari modeſtia erga ſe ipſum fuit Homerus; non ſolum enim laudes ſuas non praedicauit, vt alii poëtae, ſed etiam nomen aut patriam ſuam non manifeſtauit; quod ſine dubio feciſſet, ſi pulmoni morbus ille ſeſe oſtentandi inſediſſet. Eo gratiorem vero erga alios geſſit animum, a quibus beneficia acceperat. Inprimis matrem ſuam in optima illa femina laudare viſus eſt, quam Il. Lib. XII. labore manuum ſuarum victum ſibi quaerentem, lanasque aequa lance ponderantem, ſe filiosque alentem, deſcribit. Mentorem tanquam Ithacenſium praeſtantiſſimum nauclerum, in Odyſſea laudibus euehit. Mentem et Phemium eodem loco omni ſane laude extollit, qua nomina eorum quaſi aeternitati conſecrauit. Etiam Tychio coriario gratum exhibuit animum Il. Lib. VII. v. 220. ſeqq. Nonnulli putant, Glaucum ſub nomine Eumei ſubulci ab eo fuiſſe laudatum. Nec deſunt, qui putent, Homerum in perſona Daemodoci ſemet ipſum depinxiſſe, quem Lib. VII. Odyſſ. ita deſcribit: „Muſa et Apollo eum ſupra modum dilexit, et „deus ipſe ei dedit canendi peritiam.“ Didymus et Proclus, Diatochus et Euſtathius et alii hoc contendunt, ſed Ioh. Spondamus et cum eo plures idem negant. Hoc vero in medio relinquamus, nec huic, nec iſti calculum noſtrum adiicientes,

MIRAE EIVS FACVLTATES.

Mirum eius ingenium, ſtructura orationis, ſententiarum diſpoſitio, figurarum ſplendor, doctrinae expoſitio, rerum geſtarum narratio, ſecretioris ſapientiae velamenta, oratio ampla, plena, fuſa, proxima Ciceronianae, ars ipſa humana maior, non parui vel mediocris ingenii facultates ſubolent. Inter alia, quae hunc poëtam commendant, comparationes, a brutis petitae animalibus, magna ex parte referri merentur: ita vt nihil magis mirer, quam quod Scaliger, Homerum miſeras feciſſe comparationes, temereque epitheta rebus appoſuiſſe contendit. Sed laudes eius ſemper manebunt, etiamſi ſcriptores multi gloriam eius imminuere ſtudeant. Porro, quam bene breuiloquum ſe praeſtitit, vbi breuitate opus fuit, id quod inprimis ex decimo ſeptimo Odyſſeae libro patet, vbi triginta octo verſibus, ea omnia perſpicuitate contrahit, quae totis duobus libris, quarto nimirum et quinto, de Telemacho ad Neſtorem et Menelaum profecto, narrauerat,

quare Quinctilianus eum omnibus Eloquentiae partibus Exemplum et Ortum dediſſe affirmat. Inſt. orat. Lib. 10. c. 1. „Idem laetus et preſſus, „iucundus et grauis, tum copia, tum breuitate mirabilis; nec poëtica mo„do, ſed oratoria Virtute Eminentiſſimus.“

DE HOMERI OPERIBVS.

Repetitiones apud Hom. nemo vnquam veterum inculpauit, quae ſi ex Homeri carminibus tollerentur, maximo priuarentur ornamento. Inſuper eiusmodi repetitionum conſuetudo antiquis temporibus vigebat. In Moſis libris repetitiones multae inueniuntur, quae vero auctoritatem eius non imminuunt, ſed potius vt certiſſimae notae eius aetatis agnoſci poſſunt. Epitheta, ſiue deorum, ſiue heroum, ſunt veluti cognomina quaedam ac tituli, quod omnium gentium, noſtrarum etiam, moribus conuenit. Quare Hom. non ignorantia, ſed conſuetudine ductus, hoc fecit. Nihil illi, praeter Iliadem et Odyſſeam adſcribendum eſt; Hymnos enim et reliqua carmina, quae ipſi tribuuntur, omnino aliena, tum ob ingenium, tum ob virium facultatem exiſtimanda eſſe cenſeo. Nonnullorum tamen ſententia Batrachomyomachia et Margites eiusdem Homeri ſunt. Quidam ipſi praeterea et ludicra quaedam attribuunt, vt: Ἀμαζόνια, Ἐπιθαλάμια etc. et multa alia deperdita, de quibus Fabricius catalogum fecit. Poëmata autem germana eius cum primo hinc inde diſperſa canerentur, Piſiſtratus Athenienſis in vnum veluti corpus redegit. Cic. de Orat. Lib. III. c. 33. Gisbertus Cuperus de Piſiſtrati filio loquens, dicit: „Hinc iam olim Hipparchus, Piſiſtrati filius, ita carminibus Homeri delectatus eſt, vt lege ſanciuerit, quinto quoque anno in Panathenaeis ea publice per rhapſodos decantari debere.“ *) Ariſtarchus grammaticus primus fuit, qui Il. et Odyſſ. in XXIV. Libros ſecuit, et litteris alphabeti inſigniuit. Lycurgus **) Lacedaemonius vniuerſa Homeri carmina ex Ionia in Graeciam aſportauit. Solonem primum carmina Hom. Athenis publice a Rhapſodis ***) recitari iuſſiſſe,

*) Plato et Aelianus.

**) Lycurgum non longe poſt Hom. aetatem vixiſſe, multi affirmant, tamen etiam ſunt, quorum traditione ille cum eo congreſſum appareat.

***) Rhapſodi dicebantur, qui veterum Poëtarum, praecipue vero Hom. carmina, vel in conuiuiis vel theatris, virgam auream manu tenentes, cantabant. Vid. I. C. Scaligeri Librum Hiſtoricum Cap. XLI. et Dacieriam in Vita Hom. p. 16. 17. edit. ſplendid. Amſtelodami 1731.

iuſſiſſe, tota fere antiquitas variis teſtimoniis affirmat. Iliadis atque Odyſſ. poëmata vtrum ex integro compoſuerit, dum in inſula Chio commoraretur, aut alibi coepta ibidem perfecerit, non liquet. Maiorem tamen eorum partem ibi meditatum eſſe, putant plerique. Poëmata ſua vno quidem tenore et continuo meditationis filo ipſe contexuit; ſed eam non ſimul, nec ea, qua hodie eſt, ſerie continua edidit, ſed Rhapſodias ſingulas a ſe compoſitas in Vrbibus reliquit. In vtroque Poëmate Iliad. et Odyſſ. adeo plene cumulateque omne tulit punctum H. vt aegre ſtatuere poſſimus, vtrum alteri praecellat. Longinus Odyſſ. ab Hom. in ſenectute, Iliad. in iuuentute compoſitam iudicauit. Similitudines non ita frequentes occurrunt in Odyſſea, vt in Iliade, non autem quaſi Homeri virtus refrixiſſet in Odyſſea, ſed quia argumentorum diuerſitas hoc poſtulauit. Non enim vatis aetas in cauſa fuit, quod viuidior ſit Ilias, remiſſior Odyſſea, ſed ipſarum rerum indoles. Vtrum vero Iliadem an Odyſſeam primum ſcripſerit, vel vtrum horum carminum prius legendum, diiudicare nolo. Quicquid tamen diſputauerint veteres, Ilias vulgo vetuſtior credita, et Lucianus Homerum hoc ipſum affirmantem introducit: „*καὶ μὴν κἀκεῖνο ἐπεθύμουν εἰδέναι εἰ πρότερον ἔγραφε τὴν Ὀδύσσειαν τῆς Ἰλιάδος ὥς πολλοί φασιν, ὁ δὲ ἠρνεῖτο;* Tum et illud ſcire cuperem, an, quod multi volunt, Odyſſeam „Iliade priorem ſcripſerit; ille vero negauit.“ Merito igitur Ilias dextrum locum occupat, Odyſſea ſyniſtrum. Homerus poëtarum antiquiſſimus, tragicorum et comicorum dux, parens, ac choragus, philoſophiae morum doctrinam tradentis auctor, religionem, cultum, formasque deorum docuit, eſt omnium dicendi generum magiſter, Philoſophorum Princeps, optimus Geographus.

EIVS THEOLOGIA
VEL PAVCVLA DE DIIS HOMERICIS.

Diogenes Laertius et Suidas Homerum et Heſiodum poenas apud inferos dare grauiſſimas dicunt, quia impie de diis ſcripſerint. Nam Heſiodi animam, columnae aereae arctiſſime alligatam, magnos eiulatus emittere; Homeri, ſerpentibus cinctam, ſimilem in modum gemere, docent. Homerum autem tanquam inſanientem eandem ob cauſam ab Athenienſibus quinquaginta drachmis multatum Heraclides tradidit. Quid vero

 Plato?

Plato? Nonne, cum in libris de legibus teſtatus eſſet, ſe fabulas illas et commenta, vtpote diis indecora, improbare, in tertio deinde de republ. libro ex vrbe ſua Homerum abire iubet, quanquam honoris cauſa vnguentis delibatum, lanaque dei inſtar coronatum? Profecto Hom., deorum fabulas intuenti primo adſpectu reprehenſione dignus eſſe videtur, quod res tam abſonas de diis enarrauerit. Sed eas fabulas Hom. non confinxit, ſed confictas iam, vt poëta adhibuit. Quare aetatis ſuae theologiam in carminibus eius expreſſam videmus. Neque vero aliter facere ipſi licuit, ſi gentis ſuae laudem et comprobationem aſſequi voluit. Quid indignius? quid turpius, exclamant multi, de diis excogitari fingique vnquam potuit? Sed ipſe Plato, qui Hom. reprehendit, allegorias fabulasque, vbi de diis egit, diſerte perſecutus eſt. Fortaſſe Plato inuidia contra Homerum flagrauit, nam Riccius in diſſertat. ſua Homeric. V. de Platone: „Quantum, inquit, „vero ponderis obtineat, neſcio, ratio illa, qua ſe tueri ſtudet, „vbi illum damnat, quod ſcilicet paſſim allegorias vſurpet, cum de diis maxime ſermonem habet, quae iuuenum animos corrumpunt, et ad praue „cogitandum, neque ad nudam veritatem expiſcandam condocefaciunt, „quandoquidem ipſemet allegoriis adeo redundet, fictisque imaginibus, „quarum ornamento atque lepore audientium auribus lenocinari voluiſſe „conuincitur non minus certe, quam Homerum ſe ipſum euoluentibus „placere ſtuduerit.“ Quae ergo apud Hom. aliosque poëtas, ſaepe de inſidiis leguntur quas hominibus dii, fallacibus ſtruunt ſomniis, non ſunt repudianda, cum ſemper quaedam ſub iis lateant. Fabulae vero, eius carminibus inſperſae, illis inprimis temporibus maximam habuernnt vtilitatem, quippe cum homines imperiti eiusmodi narrationibus fictis ſaepe inſtrui, periti delectari potuerint. Quare et Horatius in art. poët. v. 343. ſeqq.

„Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci,
„Lectorem delectando, pariterque monendo.“

Eſt igitur finis poëtarum, prodeſſe et monitis oblectare. Idem ſagaciſſimus rerum aeſtimator Horatius, Homerum agnoſcit Philoſophis ipſis, qui morum praecepta ex inſtituto tradiderunt, longe meliorem, quod lib. I. Epiſt. II. ad Lollium demonſtrat:

„Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
„Plenius ac melius Chryſippo et Crantore dicit.“

Multi fuerunt, qui diſſertationibus doctis inquiſiuerunt, vtrum recte Plato e republica eiecerit Homerum, qualem compoſuit Zerapion. Alexandrinus, vti

vti apud Suidam legere licet; nec non Homeri defenſio, quam aduerſus Platonem libris quatuor complexus olim fuit Dio Pruſaeus, narrante eodem Lexigrapho. Deos igitur deſcribit Noſter, eorumque cultum ad poſteros transmiſit; vnde non immerito a Porphyrio ΘΕΟΛΟΓΟΣ dictus eſt. Immo non defuerunt, qui Hiſtoriarum quicquam carminibus eius ineſſe negarunt, et maximam fabularum partem ad allegorias reuocarunt. Quorum in numero fuit Metrodorus, Proclus, Anonymus, Numenius, Porphyrius qui omnes ad allegorias decurrunt, illasque vel phyſice, vel moraliter, vel hiſtorice explicant et recte quidem Euſtathii iudicio in prooemio ad Odyſſeam, „*νόμος*, inquientis, *τοῖς ποιηταῖς μὴ γυμνὴν τὴν ἱστορίαν ἐκτίθεσθαι, ἀλλὰ* „*μύθοις καταπυκάζειν* i. e. Conſuetudo eſt poëtis, non nudam hiſtoriam „narrare, ſed fabulis eam implicare.“ Quem quidem morem Hom. in omnibus eius carminibus ſecutus, totum quaſi fabularum ad Deos ſpectantium, ſyſtema iis intexuit. Dacieria iudice in praef. ad Iliadem, omnis haec eius excuſatio huc redit: Ea, quae numinum crimina ac peccata in eius carminibus videntur, naturae ſunt adfectiones, non adulteria; contentiones, irae, libidines, rerum mixtura, deſideria naturae debent intelligi. Initium autem criminationum a Iunone ducimus, quae circa prioris libri finem, et paſſim in ſequentibus, grauiter cum Ioue iurgatur, ita, vt Iouem quaſi cogat, eam coercere, et vario modo punire. Sine dubio Hom. (Euſtathio affirmante) in Iunone, vxoris rixoſae imaginem exhibere, et feminarum improbas fraudes depingere, voluit, et ſi Iouem eam vituperantem legimus, poëta noſter innuere voluit, maritos ſaepe ab vxoribus ad tales reprehenſiones cogi. Cuius generis vituperationem inter alia etiam Iliad. XV. inuenimus vbi Iuno ſecundum eiusd. Euſtathii ſententiam, aër eſt; duae pedibus adpenſae incudes, duo ſunt elementa, terra et aqua; aurea vincula manus vincentia, aether atque ignis, in ſuperiori regione quieſcens. Illa autem craſſiora elementa duarum incudum imago optime oſtendit, in hiſce elementis artes atque opera ſua homines exercere. Quae ſi ita explicantur fabulae, omnes inimicorum quibus incuſent Homerum turpes naeui decidunt. Neque tamen cum Lampſaceno totum Hom. allegoriis ſcatere, putarem, neque eas omnino cum Ioanne Spondano contemnerem. Si quis ergo diuina eius carmina eo conſilio legit, vt eorum ſenſum indagare et ſcrutari ſtudeat, multa in iis praecepta aurea inueniet, ad vitam rite agendam, ipſi vtilia ac neceſſaria. Quod autem Iouem non fecerit fato obnoxium,

lucu-

luculenter docet libro XVI. vbi Iunonem e Ioue percontantem introducit, an ſibi Sarpedonem e fati manu eripere liceat? Quae verba clare innuunt Iouem fato imperare, non vero ipſum fati legibus eſſe ſubditum. Videmus ergo, noſtram theologiam cum illa veteri multis in rebus maximam habere conuenientiam. Vid. Gerhardi Croeſii hiſt. Hebraeor. Zachar. Bogan. Comparatio Hom. cum ſcript. ſacris. Iac. Frid. Reimanni Iliad. poſt Hom. Iacobi Duporti Gnomolog. homeric. et Apologiam Hom. per patrem Hardouin.

HOMERI ZOILI ET VINDICES.

QVIDAM SCRIPTORES ANTE EVM ET CRITICI POST EVM.

Tres praecipue maxime furioſos reprehenſores Hom. fuiſſe comperio, Zoilum nimirum, antiquis iam temporibus, canem rhetoricum ab Aeliano dictum; Scaligerum duobus ab hinc ſeculis, et Mottam e Gallia noſtro aeuo. Tamen etiam Hom. vindices permulti, vt A. Macrobius, Auſonius, Sculptor Archelaus, Alexand. Magn. Iul. Caeſar, Auguſtus, Claudius, et alii. Scripſiſſe ante Hom. Linum, Philaemonem, Thamyram, Amphionem, Orpheum, Muſeum, Epimenidem et alios, multi oſtenderunt. Multi honorem et laudem Homeri detrectant, dicentes, Hom. ex illis ſcriptis ſua delibaſſe, de eo tamen iudicare non poſſumus, quia eorum ſcripta non habemus. In nullo vnquam emendando, plures critici operam poſuerunt, quam in Hom. Inter eos praecipue ſunt Ariſtoteles, Crates, Mallotes etc. Sed ſunt editiones emendatiſſimae quae nondum emendatae. Criticos enarrare interpretes nimis prolixum eſſet. Euoluas Lect. Ludolphi Kuſteri Hiſt. Crit. Wetſtenii diſſertationem de ſcriptis Hom. et Camerarii Commentarium in primum librum Iliados, vbi Criticorum et interpretum nomina de Hom. inuenies. Cum autem ad finem properem, quod verear, ne prolixioris orationis magnitudine moleſtiam Vobis exhibeam, pluribus iam delibatis, non pauca ob breuitatem omittam. Ea tamen mea fortaſſe ſufficient ad demonſtrandum, quale Homeri ingenium.

SPECIAL 85-
B19842
THE GETTY CENTER
LIBRARY